

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae IV.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

In eum statum temporum] Cum respublica defensoribus egeret, paucis iam omnia tenentibus. Scripta enim est epistola Caluino et Messalla cossi. cum adhuc Caesaris potentiam Pompeius adiuuaret, nec optimatum vires ad resistendum sufficerent.

Natura, studio, fortuna] Pro rebus extraneis *fortunam*, id est, pro genere speciem vsurpauit: (si modo inter Curionis bona nobilitatem generis comprehendit: quod omnino verisimile videtur) quemadmodum et Cornelius Nepos in Attici vita c. 3. fortunæ munus ait fuisse, quod in ea potissimum vrbe natus esset, in qua domicilium orbis terrarum esset imperii. vere fortunæ bona sunt, quæ tum ab ea dari, tum etiam eripi facile possunt, vt diuitiæ, quæ sæpe bello, incendio, alioque casu amittuntur: nobilitas autem generis, et patriæ splendor, cum semel data sunt, perpetuo retinentur: itaque malim ea in extraneis rebus numerare, quam, vt Cicero, et Nepos, fortunæ tribuere.

Facultatem] Cum dantur amplissima.

Copiarum] Nemo enim copias admiratur, quas facillime fordidi homines, atque improbi consequuntur, quibusque Africanos, et Laelios multi venalicii, mercatoresque

superarunt: quod egregie Cicero scripsit in Oratore c. 70. Fortasse hanc sententiam Cicero sumpsit ab Isocrate, cuius in primis lectione delectatus est. ait enim in oratione, qua Euagoram laudauit, mortuorum memoriam non sumptibus, verum oratione laudantium, immortalē fieri. Αἱ μὲν δαπάναι τῶν μὲν τοιάτων ἄδην ἐξεργάζονται, τὰ δὲ πλεῖστα σημεῖον εἰσιν.

Satiēte] Cum sæpe huiusmodi munera populo darentur.

Summa virtute, summoque ingenio] Virtutem tribuit adolescenti Curioni, cuius animum, et ingenium laudauit in proxima epistola. Vel ea dicit a Curione expectari, quæ ab iis, qui virtute, ingenioque excellunt, expectanda sunt.

Paratus] Voluntate, ac studio. in proxima epistola, sic ad nos confirmatus reuertare.

Quod ita esse confido] Cum aliquem admonemus, hoc subiungere artificii est: ne dubitare videamur, et in admonitione nostra totum constituere.

Muneribus] Tacite significat, non debere Curionem in iis muneribus, quæ populo dare cogitabat, spem suæ dignitatis collocare, sed in rempublicam sua studia conferre, quo sibi ciuitatis vniuersæ beneuolentiam comparabit.

EPISTOLAE IV.

ARGVMENTVM.

Epistolarum genera tria ponit; vnum, negotiale; alterum, iocosum; tertium, seuerum: quorum nullo sibi nunc vti licere demonstrat, vt ostendat se, cum nullum scribendi suppetat argumentum, facere conctum, quod fecit etiam in superioribus litteris, vt eum hortetur ad amplectendam rempublicam, in magnis difficultatibus constitutam: cuius

ius officii causam confert in benevolentiam suam. Nihil habet epistola, quod morale non sit. Eodem anno.

EXPLANATIO.

Inuenta res] Vt cum absentibus tamquam praesentibus colloqueretur. Pertinet huc versus ille trochaicus catalecticus, a Turpilio comico de litterarum vicissitudine prolatus. quem recitat beatus Hieronymus in epist. 42.

Sola res est, quae homines absentes praesentes facit.

Certiores faceremus] Monendus hic est lector, Latinum non esse, id est, scriptoribus optimis usitatum, certiores reddere: quod quibusdam placuit.

Tuarum enim rerum domesticarum] Satis erat, *tuarum rerum*: nec satis constat, utrum a Cicero, an ab aliis postea scriptum sit, *domesticarum*. Sed hoc leue est.

Magnopere delectant] Quae tamen mihi temporum ratio eripit.

Temporibus his] Ad exitium reipublicae spectantibus. nec sefellit coniectura Ciceronem.

A Cicerone ad Curionem] Inter quos mutuus amor, et summa familiaritas est, nulla maioris momenti negotia. Emphasis est in nominibus, ut lib. 15. epist. 4. *Cui negari a Catone fas esse non puto.*

In hoc genere] In hoc de republica argumento. eleganter Cicero usurpat, *in hoc genere*, pro, *in hoc*, ut epist. 1. *Si in eo genere studium meum non aspernabere.* Et epist. 6. *Propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam, vel diligentiam.*

Haec mea causa est] Hic status meus est.

Quae non sentio] Ita lego, cum antiquis libris omnibus, etiam illo Mediceo, omnium vetustissimo, non, ut est in recentioribus, *quae nunc sentio*. Nolo, inquit, de republica scribere ea, quae non proba.

Velim scribere] Non audet, quae de republica sentit, litteris mandare, ne Caesarem, et Pompeium, principes ciues, sibi amicos, offendat, si in alienas manus litterae inciderint. epist. sequenti: *Haec negotia quo modo se habeant, ne epistola quidem narrare audeo.*

Ea clausula] Quod epistolam claudit, ac terminat, *clausula* vocatur. Et omnino rerum omnium finis, *clausula* est. itaque lib. 6. ad Attic. epist. 3. *Clausula est difficilis in tradenda prouincia.*

Ad studium summae laudis] Ad tuendam rempublicam, ex quo manat summa laus.

Gravis aduersaria] Sic enim nobis, ut cum acerrimo inimico, cum expectatione pugnandum est: iis autem, qui nulla in expectatione sunt, licet esse otiosis.

Incredibilis quaedam expectatio] Mediocris enim expectatio mediocrem industriam, virtutemque postulat, sed incredibilem sine summa virtute nemo vincet, sic epist. 1. *Tanta est expectatio vel animi, vel ingenii tui.* In tertia vero: *Summa scito in expectatione te esse.* Epist. 5. *Mirabilis est expectatio redditus tui.* Quibus locis omnibus ad excitandum, commo-